



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-65250-p0001-4

DFG

51 2
IV. 31
ECCARDI TODII,

Itzehoâ-Holsati,

Ornatissimi Juvenis & SS. Theol. Stud.

IN ACADEMIA LIPSIENSI

Ex vulnere beatè mortui

Adversus vindictam privatam

ORATIO.

Interprete

L. VAL. ALBERTI, P.P.

LIPSIÆ,

LITERIS JOHANN - ERICI HAHNI,

Anno M.DC.LXXIV.

K. 223

4, 33^a

ANNO M. DCC. XXXIV.



Dominicus Baudius, V.C.

In Orat. ad Studiosos Leidenses

p. 65.

QVid vobis rei est cum vigilibus? quid
cum humili plebecula? qvin mis-
sum facitis prophanum vulgus? divisa
sunt immani intervallo vestra & eo-
rum munia; servetis decorum: Patria
vobis assignat partes Agamemnonis,
cur agitis personam Thersitæ?

Et pag. 92.

SAlva resest. Cerno frontes ad pudo-
rem compositas, cerno facies mode-
stiæ & ingenuitatis colore purpuratas.



Vulneratus ac Moribundus

ad

Studioſos Lipsienses,

Florem ingenuæ Juventutis, ad laudem ac decus natae.

Roximus ego æternitati hōc
momentō, alloqvor Vos, *Charissimi*, in
tempore. Hoc enim rerum omnium pri-
num esse, jam, cùm ad ultimum periculi
pervenio, ego doctor ac commilito ve-
ster, factō ipso doceor doceoq; Nolite verò expectare
à me querelas, qvi ad æterna gaudia propero. Tristis
desererem Vos Sodales, nisi in Angelorum consortium
reciperer. Mœstus ex hac scientiarum omnium officina
abirem, nisi ab intuitu per speculum in ænigmate,
transirem ad videndum à facie ad faciem. Unicum
est, qvod vos volo, ô *Mei*. Beneficium velim expenda-
tis unà mecum, qvô me affecit DEus. Irâ studioqve
vindictæ, cùm vulnerarer, inflammatus eram totus.
Qvid si imperfectus fuisset? O magnam DEi clemen-
tiam, qvæ hoc non permisit! Acerbum est, dolorem
vulneris, qvid inferni sentire? Infaustum, medicinam
vulneri, sed frustrà adhiberi; qvid nova subinde vulne-
ra, qvid æternū illa infligi? Horresco, memor tanti
periculi: gaudeo, exulto me illo liberatum esse. A mo-

A 2

mento

ANNO M. DCC. XXXIV.

mento pendet æternitas. Mors est ultima, sed infinita linea. Hâc continuantur vel gaudia vel cruciatus nostri sine fine. O me miserum! si cum dolore heic desissem, si cum dolore ibi incepissem, nunquam finissem! O me miserrimum, si per apertum hastâ pectus anima ingressa fuisset torturæ locum, è quo nulla redemptio! Idem verò periculum imminent Vobis, si in eodem negotio occupati fueritis. Cayete vobis, fas est, à lictoribus; sed & à Diabolo. Illos dum aggredimini, hic aggredi, quid aggredi? hic capere, quid capere? hic perimere vos omni ope maximâque vi connitur. Vos autem, si quem ex adversariis interficeretis, quâm grandem contraheretis culpam! Sangvis ille, qui effunderetur, hominis esset, quem præter Magistratum, reposceret Deus. Locum hunc, in quo animi vestri perpoliuntur ac exornantur, humanô macularetis sanguine. Ipsí verò, etiam si rem strenuè ageretis, quâm amaretis, quâm promoveretis vestrum periculum! Lapis, gladius, hasta pugnantem vincentemque vulnerare, interficere potest: Ira verò interfectum damna-re potest. O præcipitium, in quo consistitis! Mortem Parentum meorum, quam hactenus inter adversitates fortunæ primô locô posui, jam mihi gratulor. Imminutus enim est vulneratorum & occisorum numerus. Solus ego dolorem percipio, solus morior. Illi, si vivent, de vulnere non minùs ac sanguine meo participarent. Periculum esset, ne ego moriturus, his, qui

omnes

z A

post

post Deum mihi vitam dederunt, mortem inferrem.
Vos autem, qvi vivere nostis illos, sine qvibus vitam
auspicari non potuissetis, ne facite, ne patimini eos sine
vobis vivere aut unà vobiscum mori. Ordinem natu-
ræ, qvem divina providentia Vobis hactenus præsttit
integrum, ne culpâ vestrâ invertite, juvenesqve ante
Senes, filiiqve ante Parentes diem, ante diem, obite.
Ætas Parentum vestrorum non potest non esse nume-
rosa. Num canos eorum, insigniâ senectutis, coronam
dignitatis, cum mœrore deducetis ad inferos? Sumptus
hactenus, an lacrymas imposterum profundere opor-
tebit eos? Ne permittite, eas, nisi per abundantiam
gaudii super fortuna vestra, exprimi. Preces, qvibus
Numen vobis propitium orant & exorant, sumptibus
omnibus, qvos faciunt, pretiosiores sunt, & à vobis
longè majoris æstimandæ. Habeant nihil, præter illas,
qvod in commodum vestrum confrant: multum vos
ex nihilo illo lucrabimini. Impios oporteret esse pa-
rentes, qvi liberos suos D E O, à qvo acceperunt
eos, per preces non committerent: immisericors vi-
deri posset DEus, Pater omnium, si illos non exaudi-
ret. Sed hujus clementiam ne in iram, illorum suppli-
cationes ne in detestationes ac abominationes con-
vertite. Ego, cui carendum fuit tām firmo præsidio,
malo qveri de vulnere corporis qvām conscientiæ. Læ-
sus sum: sed parentes nunquam læsi. Lapsus sum ex
errore in periculum; sed gratiâ Parentum nunquam

A 3

ANNO M. DCC. XXXIV.



excidi. Imò cùm per infortunium meum excidere debui, non potui. Sed, ô miserabilem meam felicitatem! Vobis, ut possitis Parentibus placere, DEi benignitas, ut velitis, arbitrium vestrum præstat; mihi saltem, ut ne possim displicere, illætabilis orphanorum conditio indulget. Video inter vos non paucos, qvibus, præter annos viventium Parentum, secula Nobilium Majorum computare datum est. Obligarunt hi Rempubl. vobis, Vos Reipubl. Qvàm svave certamen hâc occasione inibitis: Vos meritis, illa præmiis! Ego, si ad hâc respi ciatis, minorem etiam jacturam facio. Qyanqvam vobis, qvibus incunabula meis similia, DEo providente, obtigerunt, comes ire non deditabitur fortuna, si virtutem habueritis Duce. Imò vobis, qvibus Parentes, vitæ ac felicitatis vestræ auspicia, eripuit immatura mors, aut anteqvam ad ætatis aut fortunæ firmitatem perveneritis, forsitan auferet, lego spem meam, qva studia mea, meqve ipsum erexi, sustinui. Jubeo. Vos Patronis confidere ac Magistratui vestro. Illi, ne benefactis tantum ex conscientia merces, sed etiam præmia sint, curabunt: hic, ne malefactis Vos iædat qvispiam impunè, providebit. Verba hâc mea, Vos omnes, *Commilitones svavissimi*, ne me, seqvimiini. Ultio est DEi, qvi rependit. Hoc nostis, qvi Theologiæ operam datis. Gladium portat Magistratus, Minister Dei, vindicta in iram ei, qvi male agit. Id non ignoratis, qvi jus atque æquum addiscitis. Vos, qvi morbis mederi, qvi vulnera

nera sanare aliquando vultis, ne corpora aliorum animumque vestrum inconsultâ vindictâ sauciate. Vos, qui humanitatis ac sapientiae studio oblectamini, cum vulgo ne contendite, nisi ut, quos homines juxta ac vos esse nōstis, virtute superetis. Facile est, peccare in vos vestraque jura eos, quibus fiducia officii aliquid, multum verò audacia nimiumque inter arma noctisq; tenebras contra jus fasq; permittere potest. Tutissimum, quod his opponitur, præsidium est Magistratus. Conscientiae vinculum nos obstringit illi, illum nobis. Nec paratores vos eritis ad implorandam quam ille ad exercendam vindictam. Nolite aliud persuadere vobis aut aliis. Norunt illi, committi sibi Vos, non victimas aliorum aut prædas, sed patriæ spem, decora familiarium, fulcimina Reipublicæ ac Ecclesiæ. Lipsia exules olim Musas adversus Pragensium vim atque insolentiam jure hospitii tutata est: quomodo se hostem hodie gereret? Lipsia per Europam Magistra morum audit: quomodo vos minus civiliter haberet? Bono sitis animo. Peccatum sit utrinque, sed per me, sed in me ultimum. Vobis, quibus sanum corpus est, non tam facilè quam mihi sana suppetunt consilia. Nec ego, si vestrô loco essem, forsan aliter sentirem. Sed postquam in hoc præsentissimum vitae discriminem incidi, animus in medelam sui vestrūmq; omnium, corporis mei vulnus vertit. Placuit DEO, concionari vobis, per me vulneratum sanis & moribundum viventibus. Verba quotidianae

ANNO M. DCC. XXXIV.



diè in cathedris, exemplum in me attendere potestis,
debetis. Fortius hoc animos vestros qvàm me telum
feriat penetratqve. Novissimum hunc diem meum
excipiet crastinus, qvo Ecclesia venturum ad novissi-
mum judicium Servatorem solenni cultu venerabitur.
Ille qvidem animam meam, sangvine suo redemptam
ad se recipiet, sed corpus meum saucium, sed memori-
am mei relinquet vobis. Ultimini illâ non in honorem
meum, qvem deprecor, sed in commodum vestrum,
qvod exopto. Juvenes vos ad errandum faciles ac
proclives, sed & mortales esse, meô exemplô discite.
Mortem malè beneqve operantibus momento instare,
eamqve, si finem hujus vitæ spectes, eandem, si initium
alterius sine fine, diversissimam esse perpendite. O æter-
nitas! qvàm obstupecerem, qvàm contremiserem ad
intuitum Tui, nisi mihi spatiū temporis ad te piè bea-
teqve exciendam indulsisset DEus. Ad Te jam fe-
stino, confossus homo per confossum Hominem-DE-
um, peccator per Redemptorem, reus sed absolutus
per mediatorem Christum. Delicta juventutis meæ
ne memineris. Secundum misericordiam tuam me-
mento mei Tu, propter bonitatem tuam, Domine!

Vulneratus fuit ultimo Novembris; beatè mortuus
est quintō Decembris, A. 1674.

JACO-

estis,
elum
neum
vissi-
pitur.
ptam
nor-
orem
rum,
es ac
scite.
tare,
tium
æter-
m ad
bea-
nfe-
DE-
latus
meæ
me-
e!
CO-

JACOBUS
Magnæ Britanniæ Rex , Meditat.
in Orat. Domin. p. 64. seqq. contra
studium privatæ vindictæ, ad sub-
ditos suos,

Eos præsertim, qui Aulam sequuntur.

DRIMUS mortalium hoc scelus ausus est Cai-nus, adversus fratrem Abelem. Nam quum de-
DEO ipso, scilicet agente, qui, eo repudiato, fra-tris sacrificium gratum habuit, vindictam sume-re non posset, converso odio, fratrem interemit, qui pa-tientis personam duntaxat sustinebat. Quid hinc sequtum est? exlex ille & fugitivus factus est, à DEI præsentia, à Pa-tris conspectu. O fortissime Caine, quantum tu honoris & gloriæ consecutus es, nobili hoc & virili patrato facino-re, quod ante alios omnes cædis exemplum dederis, & in-nocentem sanguinem primus effuderis ? Post hunc alter nobis occurrit, qui non contentus idem facere, de facto quo-que gloriatus est, tanquam re memorabili & viro digna. Et hic erat Lamech, qui vindictam suam coram uxoribus ven-ditavit, ut illis (quemadmodum creditur) sui metum incute-ret. Sed, si verum est quod nonnulli è Judæorum Rabbinis conjiciunt, ille Cainum interfecit, & pro mercede maledi-ctionem retulit, quam DEUS, quum Cainum notâ insigniret, ejus occisori interminatus est. Utut est, satis constat, utrumque damnatum fuisse, eorumque posteros diluvio ab-sorptos. Sed ad hanc rem plura exempla citare non est ne-cessæ, quum multa millia hujus generis singulis seculis occur-rant,

B

ANNO M. DCC. XXXIV.

rant. Unum igitur gradum descendam ab impiis ad ignavos. Qyanquam enim scelerati & exleges bonis & probis vi-
rum & me-
ticuloso-
rum tam bo-
minum

ris multo sint inferiores, infra sceleratos tamen sunt ignavi, qvum ne inter viros quidem mereantur censeri. Est autem veritas hæc notissima & irrefragabilis, sæviore natura esse & prioniores in vindictam, ignavos fortibus. Nam ignavus nunquam se satis tutum putat ab hoste; quem si vel mortuum conspiceret abjectum ad pedes, metueret tamen (qvod in Gallico est proverbio) ne illi in oculos insiliret. Jam infra hos descendentes, fœminas intueamur, viris sane yasa debiliora. Esse has maxima ex parte pufillanimes vulgo notum est, at viris esse multò sæviore cupidioresqve vindictæ, non minus extra controversiam est. Qvod si & ad bestias usque descendere lubet, qvò qvæque est meticulosior, eò sæviorem deprehendes & appetentiorem vindictæ: quid de Leone judicandum sit, ex meo monemur emblemate, — *est nobilis ira Leonis &c.* Adhæc, animalia, qvæ ex rapto vivunt, pleraqve omnia & generosissima, non ultionis studio, sed fame & necessitate alimenti aguntur in prædam: at cervi, qvibus natura tantum indidit metus, ut sagacis canis latratu ingentia eorum armenta, ad nescio qvot milliaria, fugari soleant, adversus hostem pro se nihil audent, nisi aut libidine acti, aut desperatione, aut vindictâ; Victoriam tamen, qvam semel consecuti sunt, tam impotenter & crudeliter exercent, ut hostem victum, quem jam vita reliquerit, longo tempore illi non relinquant; sed exanime cadaver perpetuis fodiant vulneribus, insultantes mortuo, calcantesqve. Qvo verò notior fiat pavidissimorum animalium sævitia, ultionis qvæ cupiditas, visum est mihi hoc loco narrare, qvod à duobus cervis in totidem vivariis factum fuisse, ex hominibus fide dignis accepi. Horum alter in parvo vivario Vicecomitis Bindonii, recentis memoriae, qvum Veneri intentus duas se-
cum

cum cervas in vivarii angulo haberet, superveniente forte custode, qui pro more vivarium obibat, fæminæ dilapsæ sunt: cervus unâ fugiens, quum eas sistere non posset, subito videlicet pavore attonitas, custodem semel aut bis respexit, irato & minace vultu, nihil ultrâ eō tempore molitus. Sed, biduo admodum elapso, custodi vivarium obeunti insidiatus, postquam eum sensim in angustias compulisset, versus septum vivarii, cornibus, quantum potuit, in eum invectus est, & fracto venabulo, multa homini infligit vulnera, quibus secundo aut tertio post die interiit, licet cervus eo tempore, nescio quo casu, ab eo absterritus fuerit. Alter cervus ex eorum numero fuit, quos Suffolciæ Comes in vivario primos conclusit. Is quum anni hora venisset, quam Veneris œstrum sentiunt, victus à majore senioreque, atque ita à cervarum conjugio abactus, sequente vere tempus observavit, quo æmulus cornua abjecerat, quæ ipse minoris ætatis beneficio retinebat. Nec mora, matutina quadam hora eum invasit, primò quidem uno custodum spectante, deinde omnibus, qui licet pedibus equisque quantum poterant, eum sequerentur, alterum à periculo vindicaturi, non tamen ante destitit ejus vestigia premere, ut leporem urget canis, quam plurimis eum vulneribus confecisset. Illum ego posteà canum ministerio occidi: nec alio quam latronis nomine à me & venationis comitibus insigniebatur. Ex omnibus autem animantibus nullum est inutilius humanæ vitæ, aut minus necessarium simiis, & cercopithecis, in ludibrium naturæ (ut videtur) creatis. His animalibus tanta à naturâ insita est ignavia, ut neminem invadere aut mordere ausint, nisi fœminas, aut pueros, aut quos metu percusos fugientesque conspexerint: at injuriæ memoriam ad biennium vel triennium conservant, occasionem vindictæ quacunque possunt ratione circumspicientes. Jam si & ad ea quoque animalia te dimittere volueris, quæ terræ

ANNO M. DCC. XXXIV.

terræ pulverem lambunt, serpentes dico, & reptilia veneno-
sa multa, malitiæ eorum & ultricis ingenii plenæ sunt histo-
riæ. Sed nihil est hoc in iis novi. Nam in fatis est, qvòd
semen mulieris conteret caput serpentis, & serpens illius
3. Diaboli. calcaneum mordebit. Qvin etiam (ut huic rei finem facia-
mus) si in loca omnium infima despexeris, ipsum dico infer-
num, Dæmonas, ejus incolas, deprehendes nihil nisi malitiam
& ultionem spirantes. Satan ab initio mendax fuit, & homi-
cida, primum ejus post lapsum opus fuit, in hominem, DEI
imaginem, se vendicare, idqve fraude malâ, qvùm DE U M
ipsum supra suam videret malitiam, electo ad hanc rem ma-
lignæ bestiæ, Serpentis, ministerio. Et jam ex præcipite pec-
cati descensu, ad infernum usque, satis (ut opinor) constat,
non minus vile esse, qvàm grave peccatum hoc, & veræ for-
titudini contrarium. Sed qvùm infernali carcere, unde pri-
mitus emersit, à nobis jam conclusum sit, ibi
sanè destituatur.

Deo, cuius est vindicta, soli Gloria!



ECC.

Bivp'sudili

Ornat

IN AC

Ad

09 38 61

511 : P

republique

511 : T

republique

511 : G

republique

511 : C

republique

511 : S

republique

511 : F

republique

511 : D

republique

511 : E

republique

511 : H

republique

511 : I

republique

L. VA

LITERIS

K 993

433a

